

purgantia & alexipharmaca referri debent; & Fallopius urinam prouocantia, sputum, menses, lac promouentia, nec non sudorem retulit, cum vniū humorem magis quam alium respiciant. Verum concludentes medicamentorum facultates quatuor esse dicimus (quamuis non desint, qui quinque faciant) cum Galeno, quem secuti sunt Arabes & ex posteriorib. Montanus, Fallopius, Mercurialis & alii. Iam vero licet hæc omnia suis facultatibus corpus alterent & immutent; horum tamen aliqua primario, alia secundario corpus immutant & alterant. Primario & per se agunt, quæ in primo ordine sunt, vt caliditas, frigiditas, humiditas, siccitas. Sic & ea, quæ in quarto sunt genere, vt sunt purgantia. Secundario immutant reliqua omnia. Exemplum ex secundo genere de rarefacientibus. Cum opus est rarefacere corpus, primū opus est, vt humor incalescat, ac secundario corpus rarefaciat. Quare talis alteratio, quæ est rarefactio, primario facta non dicitur, sed secundario, quia ad humorum calefactionem sequitur. Sic cum carnem regenerari volumus, necessum est prius sordes amouere deterforiis medicamentis.

De gradibus seu ordinibus facultatum in medicamentis.

C A P. VI.

a 2. simpl.
17.

Facultatibus gradus sunt tributi, quos *τάξεις*, *ἀποστάσεις* & *φύσεις* Galenus a, Latini gradus, excelsus & ordines vocant. Sunt autem gradus maioris minusue intensæ actio. Cū enim aduerterent Medici, duo medicamenda calida corpori